

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Sacra Paschalia Rite Celebranda Invitat

Tietze, Immanuel

[Leipzig], [1722?]

VD18 9081679X

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200387)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lips. pasch. it. Jen. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthiana Helmst.
5. Heinecc. de aera nativ. Christi
6. Bel Hist. Linguae Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

341
32

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
SACRA
PASCHALIA
RITE CELEBRANDA
INVITAT.

D. 32

RECTOR
ACADEMIAE IPIZIENSIS
AD
SACRA
PASCHALIA
RITE CELEBRANDA
INVITAT



Um multæ & variæ Salvatoris nostri O.M. in sacris, de dictis factisque ejus, ἀπομνημονεύμασι consignatæ reperiantur prædictiones, quibus ille, dum in his terris versaretur, τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα θόξας, nempe, acerbissimas, pro expiandis hominum peccatis, sibi subeundas perpeffiones, & mortem, pariter atque gloriosissimam suam ex mortuis resurrectionem, semel iterumque prænunciavit: tum vero in his commemorabile inprimis est responsum illud, quod aliquando Judæis ab ipso datum fuisse, in Evangelii sui capite secundo, refert IOHANNES, his quidem verbis: Λύσατε τὸν ναὸν τῆτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. *Solvete hoc templum, & intra triduum excitabo illud.* Illustrissimum hoc IESV CHRISTI, περὶ τῆς λύσεως καὶ ἐγέρσεως τοῦ Ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ, de Templi Corporis sui Dissolutione, pariter atque Inflatione, sive, de ipsius morte ac resurrectione, oraculum hac scriptione accuratius paullo contemplaturis, ante omnia, qua occasione prolatum id fuerit, nobis explicandum est. Etenim, cum, instante sacrorum Paschaliū celebritate, IESVS cum discipulis suis Hierosolymanam venisset, mox templum ingressus, indignissimo spectaculo, atrium ejus in rerum venalium forum conversum, ple-

numque vidit institoribus, qui boum, ovium atque columbarum mercaturam agebant, assidentibus etiam collybistis, sive numulariis, qui pecuniam permutarent, (a) eamque ob rem cœlesti incensus zelo, quod Patris sui domum, divino cultui rite peragendo ab ipso destinata, nundinatione ista turpiter adeo profanari, ægerrime cerneret, arreptis funiculis, contextoque inde flagello, una cum animalibus mercatores omnes templo expulit, effusisque argentariorum nummulis, ac mensis subversis, sacratissimam ædem hoc modo a negotiatione ista repurgavit. (b) Ingens profecto, ac vere *Θεῖον καὶ θαυμαστόν*, divinum & admirabile factum! quod adeo maximis, quæ CHRISTVS patravit, miraculis non æquiparandum solum, sed etiam anteferendum esse, Patrum nonnulli, nominatim ORIGENES, (c) atque HIERONYMVS, (d) judicaverunt.

(a) Frequentem hunc, tempore Christi, in æde Hierosolymitana mercatum, ejusque instituti causas, pluribus enarravit HIERONYMVS, Commentar. in Matth. L. III, c. 21. Opp. ex edit. P. MARTIANAY, Tom. IV. p. 97. Conf. GVIL. SALDENVS, Otior. Theolog. L. IV. Exercit. I. p. 609. seqq. JO. LIGHTFOOT, Harmon. IV. Evangel. P. II, p. 414. sq. & in Descriptione Templi Hierosolymit. cap. XIX. p. 597. &c.

(b) Ex Jure Zelotarum hoc CHRISTI factum derivare instituit JOH. SELDENVS, in egregio illo suo de Jure Naturæ & Gentium juxta Discipinam Hebræorum Opere; quam vero doctissimi viri sententiam solide confutavit GVIL. SALDENVS l. c. itemque S. R. BVDDVS in Diss. de Jure Zelotarum in Gente Ebræa, §. XXXVIII. p. 34.

(c) ORIG. Commentar. in Johann. ex edit. P. D. HVETII, Paris. p. 171. & 174. ὥστε μηδενὸς τῶν σφόδρα παραδόξων ὑπ' αὐτῆ γυγνημίῳν, καὶ προκαλεσαμίῳν διὰ τῆς Θεοῦτος εἰς πίστιν τὸς τε θεωρηκότας, ἐλάττω ἐμφάνειν ἐπεργασίῳν δύναμι τῆν κατὰ τὸν τόπον ἰσορίαν, καὶ μείζονα δ' αὐτῆν εἶν ἀποφηνήσασθαι τῆς γυγνημίῳς περὶ τῆ ἐν Κανῶ τῆς Γαλιλαίας μεταβεβληκότος ὕδατος εἰς οἶνον, τῷ ἰκῆν μὲν ἀψυχοὶ ὕλην εἶναι τῶν γυγνημίῳν, ἐν δ' αὖτε δὲ τῶν τούτων μυριάδων διδελῶσθαι τὰ ἡγεμονικά.

(d) HIERON. l. c. p. 98. Plerique arbitrantur, maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex utero lumen acceperit: quod ad Jordanem vox audita sit Patris: quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis. Mihi, inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse.

runt. Ecquid enim magis mirandum cogitari potest, quam quod unus ille innumerabilem hominum turbam, solo flagello, nemine resistente, e templo exturbaverit: hinc laudatus modo HIERONYMVS, id factum commemorans, igneum quiddam atque sidereum ex oculis ejus radiasse, & divinitatis majestatem in facie luxisse, tradit. Obstupescentes igitur, hoc viso, Judæi, audientesque, id agere IESVM, ut templum, tanquam Patris sui domum, a profanis usibus vindicaret, eamque adeo causam esse, quamobrem mercatum ibi institutum evertere aggressus fuerit, ipsum compellant, & si quidem Dei jussu & autoritate ista faceret, signum ab eo deposcunt, unde, divinitus ad id faciendum missum illum esse, liquido cognoscere possent. *Τὸ σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς; Quodnam, inquit, signum ostendis, ex quo nos intelligamus, tibi hæc facere licere, ac ita jure tuo te agere? Vel si, cum THEOD. BEZA & LVD. DE DIEV, particulam ὅτι, non εἰδικῶς, sed ἀτιολογηκῶς, accipere malis, hoc dicunt Judæi, sensu quidem haud dissimili: Quandoquidem tute hæc talia facis, quæ non nisi summa potestate præditis conveniunt, quoniam signo, potestatem illam tibi concessam esse, nobis demonstras? Ita nimirum Judæi, miraculum miraculo addi cupientes, solenne, quod PAVLVS, 1. Cor. I, 22. hisce notavit verbis: Ἰσθαῖοι σημεῖον αἰτῶσθε. Judæi signa petere solent, hic quoque servant, simul vero etiam haud leve obcæcatæ mentis suæ, obstinatæque incredulitatis documentum præbent, cum, maximæ rem admirationis peragente IESV, seque, dicto pariter atque facto, verum DEIFilium, ac de cælo missum instauratorem templi comprobante, signum, seu miraculum, quo divinæ missionis suæ potestatisque indicium faciat, ab ipso requirunt. Jam vero, quemadmodum alias Servator noster Phariseis, ex funesto affectu, σημεῖον ἐξ οὐρανόσ, signum de cælo, postulantibus, lon-*

A 3

ge

se: quod unus homo, & illo tempore contemptibus, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, Scribis & Phariseis contra se severitibus, & videntibus lucra destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Ignem enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.

ge sublimius e terra, idque vere ἐλεγκτικόν, datum iri signum, & hoc ipsum in sua, post triduanam in sepulcro commorationem, resurrectione, IONAE Prophetæ signo designata, conspiciendum fore professus est: (c) ita hic quoque idem illud σημεῖον, quo potentissimam suam virtutem demonstraturus erat; signum, fidelibus quidem solatium, hostibus autem terrorem allaturum, Iudæos expectare jubet, eoque nomine suam ex mortuis resurrectionem illis annuncians, sumtae re præsentis occasione, mirabiliorem, longeque excellentissimam Templi DEI instaurationem, a se conficiendam, prædicit. Hinc, λύσατε, inquit, τὸν ναὸν τῆτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. i. e. Si destruxeritis hoc templum, intra triduum illud iterum excitabo. Certum autem exploratumque est, verbis his, destruendi reficiendique templi imaginem referentibus, mortem atque resurrectionem IESV denotari. Hunc enim verum atque germanum eorundem sensum esse, ipse Spiritus Sanctus, optimus certe interpres, confirmat, quippe qui, περὶ τῆς ναῦ τῆς σώματος αὐτοῦ, de templo corporis sui, CHRISTVM hæc dixisse, *comm. 21.* diserte testatur. Unde etiam simile vero videtur, quod aliis jam observatum est, Servatorem, proloquendo ista: Λύσατε τὸν ναὸν ΤΟΥΤΟΝ, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ ΑΥΤΟΝ: digito se ipsum monstrasse, eoque, non de augusto illo templi Hierosolymitani, quod, expulsis negotiatoribus, modo repurgaverat, ædificio, sed de augustiore multo corporis sui templo, in quo scilicet habitabat πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς, *Coloss. I. 19. II. 9.* quod plenum erat χάριτος καὶ ἀληθείας, *Job. I. 14.* loqui se, aperte satis indicasse. Enimvero, cum templum illud Hierosolymitanum, uti antea quoque tabernaculum, illustris admodum esset τύπος, & egregia prorsus imago, quæ CHRISTVM, ac in primis humanam ipsius naturam, utpote παντὶ τῷ πληρώματι τῆς Θεότητος, ob intimam ejus, eandemque ἀβύητον, cum Λόγω ἕνωσιν, repletam adumbrabat: convenientissime sane IESVS a typo ad antitypum, ab umbra ad corpus, adstantes ora & oculos convertere jubet, seque ipsam

(c) Vid. Matth. XII. 38. sqq. XVI. 1. 4. Marc. VIII. 12. Luc. XI. 26, 29.

ipsum adeo, humanam suam indigitando naturam, ut templum
 ἁγιον, considerandum sistit. Ac primum quidem, hoc tem-
 plum suum, destruendum, Judæis ante oculos ponens, quod
 ipsum sacrilega manu in se edituri perfecturique essent, imma-
 nissimum scelus hisce significat verbis: Λύσατε τὸν ναὸν τῆτον
 id est: *Solvete hoc Templum.* Nempe rei futuræ, non imperati-
 vum, τὸ Λύσατε, hic habet significatum, ac illud, quod, corru-
 ptissimæ mentis suæ instinctu, malitiose suscepturi erant Judæi,
 facinus designat. Etenim, quemadmodum CYRILLVS
 ALEXANDR. ad h. l. (Opp. Tom. IV. p. 141. Edit. Paris.)
 verissime commentatur: ἡ προτρέπει αὐτὸς εἰς μαινομένην, ΛΥΣΑ-
 ΤΕ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΤΟΥΤΟΝ ἐπιών· ἀλλ' ἐπέπερ ἡδεὶ δρασσοῦσας ἀνυ-
 πέρδετος, αὐτὸ τὸ συμβήσεσθαι μέλλον ἡθικῶς ὑπαινίττεται, non hor-
 tatur illos ad patranda cadem, (Dominus) cum ait: *Solvete templum*
hoc, sed quoniam id eos certo facturos sciebat, rem futuram figurat
indicat. Eadem habet THEOPHYLACTVS, in suis Com-
 mentariis, p. 590. Ed. Paris. Nec rara omnino est in sacris litte-
 ris hæc imperativi notio, frequentemque illius in prædictioni-
 bus usum plurima Scripturæ, præsertim Hebraicæ, exempla
 confirmant. (f) Itaque hoc Dominus Judæis prædicit, sa-
 cro sanctum corporis sui templum, paucis post annis, ab ipsis
 destructum iri, quippe quod, internecino furori suo expositum,
 probris & flagitiis violaturi, ac turpissime profanatum, funditus
 quasi eversuri essent. Hoc ipso autem omnes illos, quos pro-
 pter nos homines & propter nostram salutem pertulit, acerbis-
 simos cruciatus, ac inprimis, quam, τῇ ὀρισμένη βελῆ καὶ προγνώ-
 σει τῷ Θεῷ traditus, & cruci suffixus, pro nobis perpessus est,
 mortem præfiguratur atque repræsentat. Λύσιν nimirum illam in-
 nuit, qua, salva illæsaque hypostatica utriusque naturæ unione,
 anima CHRISTI a corpore vere & τοπικῶς soluta, ac inde, ex-
 sanguie mortuumque corpus ejus sepultum est. At enim vero
 dirutum hoc modo destructumque corporis sui templum mox
 ite-

(f) Vid. GLASS, Philol. Sacr. Lib. III. Tr. III. can. 43. Locis, exempli causa
 ab illo adductis, addi possunt: Gen. XII, 2. Pf. CXXVIII, 5. Prov. VIII, 33.
 XX, 13. Esa. VI, 10. VIII, 9, 10. Jerem. XXV, 5, 27. Hof. X, 12. Amos V, 4.
 Joh. XIII, 27. &c.

iterum a se excitatum iri, addit. *Καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.*
Et intra triduum, inquit, excitabo illud. En divinæ potestatis IESVS, quàm miraculo quodam demonstrari sibi desideraverat perversissimus Judæorum animus, longe maximum signum atque documentum! siquidem, ut PAVLVS Apostolus, *in Ep. ad Rom. cap. I. v. 4.* testatur, IESVS CHRISTVS, apodictica prorsus demonstratione, potentissimus DEI Filius declaratus est, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, ubi e mortuis se ipsum excitavit. Hanc igitur suam ex mortuis resurrectionem, templi ejusdem, quod modo destructum iri dixerat, instaurationem futuram annunciando, Servator noster designat; brevique illo pronunciato, τὸ Ναὸς τῆ Σώματος αὐτοῦ instaurationem, pariter atque instaurationis tempus, ac modum, luculentissime commonstrat. Instaurator templi hujus, quod a Judæis, opinione sua, funditus deletum erat, ita, ut nullo modo iterum exsurgere posset, idem ille est, qui, templo everso, e medio sublatus existimabatur, nempe IESVS. *Et Ego, ipse inquit, excitabo illud.* Egregie ad hæc THEOPHYLACTVS: *Ἀνεβέωσαν Ἀρειοῖνοι, πῶς ὁ Κύριος, καὶ τὸ θανάτου καταλύτης. Φησὶ τὸ ΕΓΕΡΩ: ἔ γάρ εἶπεν, ὅτι ἐγερῆ ὁ πατήρ, ἀλλ' εἶπεν, ὅτι ΕΓΕΡΩ ἐγὼ, τῇ οἰκίᾳ δυνάμει χρώμενος, καὶ ἐν ἄλλῃ ἐξῶθεν προσδόμενος.* Audiant *Ariani*, (audiant vero etiam omnes, quotquot, ex Sociniano-
rum, vel Satanæ potius schola, propria CHRISTVM virtute ex mortuis resurrexisse negant) *quomodo Dominus, ipse mortis destructor, dicat, excitabo. non enim dicit, excitabit Pater, sed, Ego excitabo, propria virtute usus, nullaque indigens externa.* Auget miraculum, quod, ἐν τρισὶν ἡμέραις, *intra triduum*, templum illud a se excitatum iri, IESVS significat, siquidem sanctissimum Servatoris corpus haudquaquam debebat *ιδεῖν διαφθορὰν, sentire corruptionem*, (g) quemadmodum etiam impossibile erat, CHRISTVM a morte vincitum teneri. (h) Itaque, triduo nondum elapso, IESVS, pro omnipotente sua virtute, quod exanime terræ mandatum fuerat, corpus suum cum anima iterum unitum, cœlestique splendore exornatum, e terra produxit,

(g) Pl. XVI, 10. coll. Act. II, 27, 31.

(h) Act. II, 24.

duxit, sicque a deo sanctissimum hocce templum suum, longe augustiori facie, ac μετὰ δόξης, ex suis quasi ruderibus, restituit atque instauravit. Hæc admirabilis illa est ἐγερσις τῆς Ναοῦ αὐτοῦ, quam præsentī oraculo Judæis, divinæ potestatis suæ signum videre cupientibus, considerandam proponit Salvator noster. Sed illorum quidem caligine obducta mens verum oraculi hujus sensum haud capiebat: nam, quæ de mystico corporis sui templo Dominus pronunciaverat, Iudæi ad templi Hierosolymitani ædificium referebant, & hinc inepte prorsus atque incongrue opponebant: Τεσσαράκοντα καὶ ἕξ ἔτεσιν ἀνοδομήθη ὁ ναὸς ἑτός, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῆς αὐτόν. *Quadrāginta ἕξ annis templum hoc adificatum est, tu vero intra tres dies illud iterum excitabis?* (i) Sic postea quoque idem Salvatoris dictum malitiose eos pervertisse, perversumque in præcipuum accusationis ipsius caput, & crucifixi contumeliam convertisse, Historiæ Evangelicæ monumenta testantur. (k) Quemadmodum autem id, quod ex obstinata animi duritie credere noluerunt Iudæi, æterno tandem suo exitio, experti sunt: ita incredulitatem eorum non verbis solum, sed factō etiam, detestari nos decet, quibus non, quod terrori sit, excitandum, sed, in quo solatium atque salutem consequamur, gloriosissime excitatum Redemptoris nostri, IESV CHRISTI, templum, auspiciatissimum proponitur signum. Quare discipulos IESV imitemur, de quibus Evangelista, *comm. 22.* refert: Ὅτε ἐν ἡγέρῃ ἐκ νεκρῶν, ἐμνήθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι τῆτο ἔλεγεν αὐτοῖς, καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ, καὶ τῷ λόγῳ, ᾧ ἔειπεν ὁ Ἰησοῦς, certissimisque ac prorsus divinis

(i) Quam inanis & vana illa est objectio, quam verbis his, *commate 20.* ab Evangelista relatis, CHRISTO faciunt Iudæi, tam molesta est, quam, annorum XLVI, Templi Hierosolymitani structure assignatorum, numero, interpretibus signum, erux atque difficultas. Testantur id ipsum tot, tamque variae ac discrepantes eorum, de his ædificationis Templi annis, sententiæ, quas singulari studio JOH. MARCKIVS, Scripturar. Exercitat. ad Nov. T. Exercit. XI. p. 300. sqq. excussit, quibus suam etiam, eamque maxime verissimam, sententiam subiecit.

(k) Matth. XXVI, 61. XXVI, 40. Marc. XIV, 58. XV, 29.

nis convicti argumentis, IESVM CHRISTVM ex mortuis resurrexisse, firmiter credamus. Tum vero etiam ipsi, vivi lapides, virtute τῆ ἐγγεγεμένῃ καὶ Χριστῷ, facti, nosmet ædificemus templum spirituale, ad faciendum sacrificia spiritualia, DEO per IESVM CHRISTVM accepta. Glorificemus Servatorem nostrum, qui propter delicta nostra traditus in mortem, propter justitiam nostram revixit, nostris & corporibus & animis, quippe quæ templa sunt ipsius. Quod si vero ita in his terris viva DEI templa sumus, hoc etiam scimus, nos, ubi terrestris nostræ domus tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium habituros esse a DEO, domum, nullis manibus factam, sempiternam in cœlis, (2. Cor. V. 1.) ac nostrorum quoque corporum templa, destructa & in pulverem redacta, Dominum IESVM CHRISTVM, τὸν πρωτότοκον ἐν τῶν νεκρῶν, novissimo tempore, magna cum gloria excitaturum. Nam humile hoc corpus nostrum sic transfigurabit, ut eandem cum ejus glorioso corpore formam habeat, pro ea virtute, qua sibi omnia subicere potest. (Phil. III, 21.) Hæc est vivida illa spes, in quam regeniti sumus, δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν, (1. Petr. I. 3.) quam nullis humanæ rationis λογισμοῖς eripi nobis patimur, βεβαιωτέρῳ in hærentes λόγῳ, quo de futura mortuorum resurrectione, cujus etiam ipsum naturæ lumen nonnulla, imperfecta quidem illa omnia, argumenta præbet, perfectissime edocemur. Pluribus id demonstrabit, & insigne hoc, de Mortuorum Resurrectione, Christianæ doctrinæ caput, haud neglectis, quæ naturæ lumen præstat, præsidii, asseret, atque vindicabit, qui oratoris, in solenni, quod instat, sacro Paschali, munus geret, Vir Juvenis Pereximius, Dn. JOH. GEORGIUS BEER, Mariæ montanus, S. Theologiæ Cultor studiosissimus; ad quem adeo benevole audiendum, VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRAVISSIMOS, & GENEROSISS. AC NOBILISS. ACADEMIAE CIVES, per officiosè peramanterque invitamus. P. P. Lipsiæ, in Vigiliis F. Pasch. A. O. R. c1o 10cc XXII.

LITERIS IMMANVELIS TITII.

61 C 2

10-18

